DEO OPTIMO MAXIMO VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS V. MARTII,

M. NICOLAO MATTHIEV, Doctore Medico, moderatore.

Est-ne infantulis pulticula salubris?

NON est viuere, sed valere, vita: hæc vt sanitate; sic sanitas alimentis conseruanda. Calor natiuus (elementaris) vitam dum moderatur, triplicem corporis substantiam, suæ conseruationi studens, depopulando, quasi parasitus quispiam suo succo viuit, si conueniens ὑπέκκαυμα desit, alimentum putà, quod licèt vbique naturæ amicum, varium tamen secundum ætates, anni tempestates, temperamenta & climata vnicuique diuidendum: ex illius vitio aut vtendi praua ratione, morbi ἀποφράδοι pestilentibus grauiores sobolescunt; nónne sicciora alimenta Septemtrionalibus, Meridionalibus humidiora, pituitosis calidiora, frigidiora biliosis salubria? Non minùs εὐπέπτοις rustici, quàm δυσπέπτοις vrbani delicatiores læduntur. Autumno quàm vere pauciora ingerantur, frigidiora æstate quàm hyeme. Senes facilè ieiunium ferunt, minùs adolescentes, minimè omnium pueri. Consuetudini aliquid tribuendum: paulò etiam deterior cibus sed jucundior præferendus.

CVM sit immensa alimentorum seges ac varietas (nihil enim intactum relinquimus, si metalla, medicamenta, elementa & venena excipias) multùm refert qua arte vsurpentur; fatalem enim metam tardiùs aut celeriùs attingimus, prout medicas viuendi leges seruamus, aut contemnimus. Nihil is delinquet, qui ex sanitatis studio & medicinæ præceptis salubre, insalubre, euchymum, cacochymum, eupeptum, dyspeptum, polytrophum, oligotrophum diligenter discernet. Qui simplex vario & miscello salubrius negat, sit ἄσταθμος. qui animalium carnes non attingunt, nimium fastidiosi. Volucres quadrupedibus anteponendæ. Vis esse breuioris vitæ? sint tibi imbecilles cibi, quales ex plantis repetere licet. Dum Sol ad nos redit, ineunte vere, calore vegetiore facto, est-ne senibus & adolescentibus salubris ἰχθυοφαγία? salubris μονοσιτία? cum inter animalia pisces infimo planè sint loco.

INFANTES recèns natos adolescentibus calidiores cibis humidis & liquidis alit optimus diæteticus, non omnibus tamen; vinum ipsis venenum est, nec aqua conueniens, etiam pluuia, quam inter potabiles optimam non putamus. Nocent omnia placentarum genera. Idoneum quæris alimentum? lac est, non camelinum, non equinum, non ouillum, mallem caprinum quàm vaccinum; suillum, vt crudum & aqueum reiicimus. Exulent oxygala, melca, aphrogala, colostrum, protogala, schiston. Primas tenet humanum, maternum maximè, non tamen semper exhibendum; hoc paulò deterius altero quouis salubrius calori infantium halituoso & organis humidis analogum, vt facile coquitur, ita ex eo purior & laudabilior succus gignitur, hinc pauciora excrementa, celeriùs vt distribuitur, egregiè triplicis substantiæ jacturam reparat, & incrementum citiùs promouet.

SI lac matri defuerit, ne puerulus suo genio defraudetur, veniet in subsidium nutrix, matri quantum poterit fieri similis, nulli morbo obnoxia, ætate inter vigesimum & trigesimum annum constituta, quæ pectore sit amplo, medio inter obesum & gracilem habitu, mammis mediocriter extuberantibus, non laxis, non propendentibus, sed duriusculis, per quas venæ multiplices deriuentur, papillis neque conniuentibus, neque auersis, sed moderatè roseo colore eminentibus. Nónne & infanti magnum accedet commodum, si nutrix non multò antè pepererit, majúsque si masculum, atque vt bonis moribus, sic & ingenio sit hilari? omnia perbellè habent, si lac suâ consistentiâ, copiâ, candore, odore, sapore fuerit moderatum: tale autem probatur, si in vnguem instillatum, neque subitò neque tardiùs diffluat: vis habere porrò omnes bonitatis quæ requiruntur dotes? tum deprehendes, cum illi in vas vitreum infuso tantulum myrrhæ admiscueris, atque digitis agitari jusseris; si enim cùm subsederit, plus casei quàm seri non reperias, probatissimum affirmare ne dubites.

SICVT cibus humidus ex solo lacte materno aut nutricis infantibus recèns natis confert, eósque innoxiè nutrit, vt qui nullo penè negotio excoctus venulas quantumuis exiles permeat: ita solidiora vt Narbonensium panatella, Hispanorum polenta, Septemtrionalium cereuisiata, nostra etiam pulticula, quam triticeam farinam cum lacte vaccino & sale coctam dicimus, ipsis noxia: quælibet enim grauis, crassa, viscosa, flatulenta, quæ vt ægre coquitur, venas & viscera obstruit, grauat stomachum, aluum sistit, crudos, lentos, & mucosos succos in toto corpore accumulat: hinc copiosa morborum iliadi materia suggeritur: hinc macies febrium hecticarum comes, intestinorum cruciatus, totius abdominis tumor insignis, lienes magni, hepatis durities, morbi cutanei, variolæ, morbilli, lumbricorum generatio, calculi, vomitus, apud Narbonenses in humeris & lumbis obseruata diris cruciatibus molesta τριχίασις, Hispanorum strumæ, Germanorum & Anglorum scorbutus, hinc pluribus mors præmatura; quod si quis fortunatior non eat ad plures, mirum si non sit crasso & obtuso ingenio.



Ergo infantulis pulticula non salubris.

Proponebat Lutetiæ IOANNES GARBE Laudunensis. A. R. S. H. M. DC. XLIII.